

Tentamen medicum inaugurale de phthisi pulmonali / [William Beattie].

Contributors

Beattie, William, 1793-1875.

Publication/Creation

Edinburgh : [publisher not identified], [1818]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a4ey92tu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

3
TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

PHTHISI PULMONALI.

AUCTORE GULIELMO BEATTIE.

PRAEFATIO.

VERUM non minus est quam vetus adagium, quod, “Vino vendibili, non opus sit suspensâ hedera.”* Sic etiam huic libello, si bonum esset, opus nil fuerit proöemio; quô, in limine, uti res sint, fas esse duco lectorem praemonere.

In arte Paeonia minimum adhuc versatus, et quatenus

* “Al buón vîno non bisogna frâsca,” aiunt Itali.



[1818]

quatenus experientiâ sola, pariter ac aetate—
(quippe quae confert, non aliter quam fert, omnia,) scientia vera oriatur; valde mihi conscius sum, quanta mea mens inscitiâ laborat.

Scripturo, tamen, sat visum est, si, honores ambiens medicinae, de morborum uno vel altero pauca, pro re nata, dissererem, quaeque inter certos fines complecti possent, nec me nimis longè diducerent, aut nominibus denique, plus aequo tumerent. Stat igitur consilium de Phthisi quaedam, et qualia mihi observare contigit, quam brevissime potero, tractare,—quamvis interea facile compertum habeo, nihil esse novi, aut parum cogniti, quod gestiam expromere.

Etsi demum ad hoc absolvendum opusculum nec opus ingenio fuit nec altâ mente; haud tamen scio, an eò maculis purius, vel magis factum, ita dicere, ad unguem, reperietur: Non secus inscribendo fit ac in multis aliis: maxime sua placent cuique, et multo facilius delicta aliena videmus quam nostra, quibus etiam perspectis indulgentiam solemus, quasi paternam, adhibere:

et quod pulchrum alii videtur, idem alius fortasse,
et meliori sententia, vituperat.

Sin autem quibusdam carere maculis visum erit
hoc meum opusculum; ex votis sese res expe-
diat; et sat mihi laudis praemiique accesserit.

Sic ut quimus, quando, ut volumus, non licet.

TERENT.

TENTAMEN MEDICUM

.....She drooped apace—but still so fair—
So pensive—and no fading bloom
Blanched her young cheek—the rose was there—
Alas! its blushes veiled the tomb!

Hope filled her eye—but oh, its smile
Shone with a soft and setting light!—
So the last gleam of autumn's sun
Seems sweetest as it sinks in night.

When heart to heart is fondly twined
What most we wish we soon believe,—
Still Hope would soothe our anxious mind.
And soothed, alas....but to deceive!

How oft we said, “the spring is nigh,
“To pour new vigour o’er her frame!”—
The spring arrived—the spring went by—
But health and vigour never came!....

More would'st thou learn?....Then seek the rose
That bloomed so sweet on yonder tree;
And if thou find it sere and dead,
O, ween that sweetest rose was she!

BALLAD.

INTRODUCTION.

Misera haec tabes, saeva, atrox, et insensibilis, teneros et amabiles depascens, caede et luctu patriam implet.

GREGORY.

OMNIUM morborum qui terris incumbunt, et Stygias ad oras victimas tam multas, tamque lugendas, detrudunt, quid tristius Phthisi, saeviusve, habemus! Quippe quae nihili faciens medicinam, et flexu indocilis, praedas, numero carentes, quotidie vertit sub umbras!....Blanda quidem vultû, sed quâ tetrius nihil interius:—fucata genas, at dolosis amicta illecebris! Sic dum falso tingit rubore vultus, imo in pectore, tendit insidias, et nectar vitale depascens, depredationi corpus destinat formosum:—Labantes subeunt vires et languor—lente sub oculis evanescit infelix; donec, non secus ac arbor, ima de stirpe recisa—lux alma recedit, et duri letho finiuntur labores! Nostros intra fines adeo hic morbus generalis, ut pauci

A

sint

sint fortasse, quibus non fuit dolori; quatenus totidem vincula quot habet amicitia, vel amor, is saeviter dirumpit! Amantibus amantes—maritos uxoribus—parentes deliciis—crudeliter viduans: et nunquam fere non morte immaturâ. Triste violae Boreas sic etiam Phthisis formae et juventae: eò quidem acerbius, quod, flores depascere semper nitidissimos gaudens—parcit maturis et teneros et amabiles decerpit.

Quis nostrum non vidit, aut ingenio, aut formâ praestantes—eximiâ spe aut pulchritudine—quosdam, fortasse, gloriam saeclo venienti daturus—vel citius aut serius de medio Phthisi sublato!! Quam saepe juvenis, qui cum PLINIO arbitratur, “omne perire tempus quod studiis non impertitur”—januam tibi marcorique aperit! Sitiens doctrinae, et studiis altè infixus—sive musarum ingenti percussus amore, ardua tentat Parnassi:—seu disciplinae deditus mathematicae, vigiles perducit noctes: pariter sibi morbum conciliat. Frigenti in corpore vires effoetae, et infelix haud dubiam vadit in mortem! Haud aliter virgo: en doti-

buis

bus adhuc Erycinae ac Hygeiae gaudens !—roseus illi nitor labra et genas pingit laetissime :—nitent oculi :—Gratiae formae insident ; et prorsus eximia contingit species.—Calet eâ juvenus :—gaudent eâ amici—ipsa nunc etiam corde volutat taedas et sacra jugalia :—Eheu, quam inaniter ! Phthisis adest improvise !—omnibus sublapsa referuntur vota !—frustra nititur in adversum, flebilis marcescit, et moritur !.....En tibi, infelix virgo, pro sertis et face, nox et invisae cupressi ! Pro laetis, cantus lugubres exsurgunt ! Pro thalamis, hei mihi, domus te urguet Plutonia ! spes nobis pariter resecans, ac tibi dolores !—

“ Yet oft and sad this thought shall intervene

Of all thou wast, and all thou would'st have been.”

Sed cur te, lector benevole, his morer supervacuis ! Illis te precor quam facile ignoscas :—jamdudum est ad alia pergere.

HISTORIA

HISTORIA MORBI.

PHTHISIS, a φθίω derivata, et emaciatio aut corruptio significans, saepissime ab antiquis memoratur; nec non iis etiam morbis interfuisse videtur, quos in terras funesta pyxis diffudit, cum,

..... *Macies et nova febrium*

Terris incubuit cohors, &c. &c.

Pars nona, inquit SYDENHAM, generis humani de Phthisi rapitur: et in orbe nostro Britanniae solo, creditur haec, singulis annis, ad XL millia mortalium adimere! Etiam hac in urbe, medicus nomine celeberrimo hoc morbo implicitis, nuper, ac fere eodem tempore, centum attulit medicinam.*

Non

* "More than one-third, (ait BAYLE) of those who perished in two wards were affected with consumption of the lungs. The number of deaths in three years was 696, of whom 244 were persons in Phthisis. Among persons in easy circumstances, I may state that, of 500 that have died, 100, at least, died of Phthisis; and, of the other 400, at least 50 were complicated with Phthisis."

Non uni terrarum plagae peculiaris, at singulis quidem communis; et inter nos quam late grassatur, ex supra dictis satis superque constat.

Haec artis Apollineae cultoribus aevi cujusque, multam decertandi praebuit materiam, sed quam minimum inserviêre dissertationes, quamque minimum scientia valuit, etiam peritissima, latet nemini in obscuro.—Obnoxius huic sexus uterque, quem, stadio quovis aetatis, multo frequentius, autem, annum inter decimum quintum et trigesimum, obsidet. Sed quanquam huic morbo proclivior sit aetas juvenilis, aliquando tamen,

Non senis extremum piguit vergentibus annis,

Praecipitasse diem.—LUCAN.

sicut inter praelegendum, hominis meminit GREGORIUS, qui Phthisi periit, dum annum ageret septuagesimum.....

Operae pretium est memorare, fere hoc morbo laborantibus esse peculiare, spes sibi optimas semper

semper nutrire, et minimum, quoad animi affectus, esse depressis,

..... Credula vitam

Spes fovet, et melius cras fore semper ait.

TIBULLUS.

“ Il n’y a pas de medecin, (inquit PORTAL,) qui n’ait observé que les Phthisiques meurent avec une tranquillité et une indifférence faites pour inspirer la plus grande compassion :—ils se flattent même dans les momens les plus critiques.”* Cursus
hujus

* Une jeune personne, de dix huit ans, qui mourut d’une Phthisie Pulmonaire, ne fut alitée que le dernier jour, et concevoit les plus grandes espérances. Le soir même qu’elle expira, elle tint à ses parens le discours le plus touchant, &c.

PORTAL. FEDERIGO.

SWIETEN cujusdam meminit, qui agens fere animam, se dedit sambucæ et ei haud brevi cecinit ; sed vix digiti remoti sunt, cum fatis concesserit. Meos etiam inter familiares adolescens E. C. (quæ fuit exornatior aut flebilior nulla) cum jam Phthisi adeo confecta, ut in media teneretur morte, quaedam, circumflentibus amicis, tam melliflua tamque voce caelesti cecinit, ut omnes obstupuerunt circumstantes, et brevi post, vox pariter et vita fatis interclusa sunt ! Sic contigit finis, et quam simillimus ei, quem de cygno morituro, vates referunt antiqui.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ

Cantator Cygnus funeris ipse sui. MART. Epig.

hujus morbi varii sunt: citati interdum, interdum quoque, et frequentius, tardi: modo tam occulte obrepit, dein sese tantis viribus ostendit, ut intra paucos menses, imo hebdomadas, aegrum extinguat: modo, etiam, diuturnior, gradibus tam lentis procedit, ut, praeter animam, aegroto vix aliquid restet vivis commune: eheu, quam mutatus ab illo quem spectare olim juvabat! Cui integer aevi sanguis inerat, et solidae suo stabant robore vires! Nunc illi,

..... Cava lumina, pallor in ore,

Labra incana sitû, scabrae rubigine fauces:

Dura cutis, per quam spectari viscera possent:

Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis:

Ventris erat pro ventre locus. Pendere putares

Pectus, et a spinae tantummodo crate teneri.

Auxerat articulos macies, genuumque rigebat

Orbis, et immodico prodibant tubera talo.*

Quis non talia videns ex toto pectore hanc vocem effundit: O mihi utinam contingeret aliquid invenire, quod acri huic morbo occurreret!

Illud,

* OVID Metamor. lib. viii. v. 805.

Illud quidem multi exoptaverunt, et proinde investigationibus permultis usi sunt, at semper nequicquam—latuit adhuc; etiamque nunc latet!

Nostrae autem aetatis, tam ingenio, tam omni inventû foecundae, futurum esse credamus, melius notis morbi principiis, iis validius obstare, nec uti nunc, medicas inaniter exercere artes!

Si “nihil tam difficile, quin quaerendo investigari potest.”

PROGNOSIS.

Cum se Phthisis, stadio confirmato, ostendat, nihil quidem fauste dicendum: febris hectica, sudores colliquativi, et diarrhoea, supervenientia, planius demonstrant, quam minimum vitae aegro restet. Dicere tamen fauste possimus cum, post haemoptysin, vel catarrhum violentum, et suppurationem ex pneumonia, seu ex injuria externa, oriunda

oriunda—ægri valetudo prius prospera, nec fractum vires corpus fuerit :—presertim si febris hectica minus urgeat.

Saepius audivimus gravidis, nec non dementiâ captis, cursum phthiseos impeditum esse ; nec prioris morbi aliquid restitisse. Sed si recte tenens quid sit multorum animi super hac re, haerebit mihi aqua, quanta fidê digna sit ista sententia : nam quanquam res se ita habeat, morbus, interea, velut ignis cinere suppositus doloso, tantum in occulto latet ; nec non auctis viribus plerumque exarsurus. Tristis quidem sors evenit utrisque, nam his reddita mentê, iterum ingravescit valetudo, et simul, fere, ac desinant furere, vivere desinant : Nec illis, tempore graviditatis peracto, fors manet incerta, quippe quae, cum pariant, pereunt, et properata morte. Omnibus fere innotuit, nuptias haud raro tabem inducere, vel eam, si prius afforet, facere, ut gradum corripit.

Rimato thorace Phthisi peremptorum, in variis

partibus pulmonis pleura diaphragmati et pericardio adhaeret: quaquaversum superficies eorum interspargitur tuberculis diversi coloris, viz. vel albidis, vel lividis rubris. Haec tubercula variantur a magnitudine minimi seminis, usque ad fabae molem: sed majora fere continent materiam purulentam: haec sunt vel clausa et puris plena, vel in cavitatem bronchiorum hiantia, et aliquando sicca. In ea phthiseos specie ab apostemate proveniente, non infrequenter abscessus ingens pulmonem alterutri lateris totum invadit, adeo ut tantum pulmone singulo aeger spirare possit. Foramen ovale cordis apertum nonnunquam invenitur. In aliis corporis partibus, nihil insignee videndum est, praeter miram paucitatem adipis et membranae cellulosa.*

DIAGNOSIS.

* “ On opening the body the lungs were found full of tubercles, like peas, with miliary, and, as it were, cartilaginous granulations. There were besides a great number of foci in a state of suppuration, formed by softened tubercles, particularly in the superior lobes. These excavations were full of white pus, and many of them would contain a nut. The tissue of the lungs was not hard round the tubercles, nor near

DIAGNOSIS.

PHTHISIS omni ab alio morbo nisi chlorosi et catarrho, facile dignoscitur; et ex his quoque, hoc modo distingui potest. In chlorosi non esculentae rei desiderium adest, cutis pallor et decoloratio: venae minus plenae, pulsus tardus, languor et torpor generalis, calor minor, oculi hebetes, tussis dura et sicca, &c.

In phthisi res sese aliter habent: cupiditas cibi naturalis, vultus laetissime rubens, venae sanguine plenae; pulsus frequens; animus spê elatus, calor major, oculi nitidi et albidii, et praecipue tussis cum excretionem puris vel muci copiosâ, &c.

Catarrho, quidem, cum phthisi, multa communia

near the small foci. Many places in the intestinal canal were as if excoriated and slightly ulcerated." Vide Sîs. "BAYLE'S Researches, &c. by BARROW."

nia sunt: cum autem in stadio confirmato, ubi febris hectica, sudores profusi et diarrhoea urgeant, difficultas unam ex altero distinguendi tollitur.

DEFINITIO MORBI, &c.

Genera Phthiseos tria sunt.

I. Phthisis—Tuberculis exulceratis.

II. Phthisis—Vomicâ in ulcus abeunte.

III. Phthisis—Membranâ fistularum animae prius inflammata, dein exulcerata oriunda. Semper tamen eam eadem causa, i. e. pulmone exulcerato, contineri manifestum est.

DUNCAN, Sen.

PHTHISIS corporis emaciatio, et debilitas, cum tussi, febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta.

Speciess

Species duae sunt :—

I. Phthisis incipiens, sine expectoratione puris.

II. Phthisis confirmata, cum expectoratione puris.

CULLEN.

DE SIGNIS, &c.

I. *Phthisis Incipiens* talia signa plerumque exhibet. Tussis brevis et sicca—nonnunquam vero, mucus spumans ejicitur—circa praecordia gravitas—constrictionis sensus percipiuntur post motum etiam levissimum. Respiratio plus minusve citatior quam in salute :—pulsus arteriarum praecipue sub initium fere naturales—cito frequentiores evadunt—calor naturalis augetur—perspiratio in levem vertitur sudorem—tussis, adventante vespere, sensim ingravescit—per noctem aegrè vexat—et muci, postea, expectoratio accedit.

II. Haec *Phthisis Confirmata* : Macies—vires
gradatim

gradatim labantes—tussis gravis et molesta—
dolor lateris perpetuus—dyspnoea vel respiratio
accelerata—sputa purulenta—pulsus frequens—
durus—celer et chordae similis—et “Febris hec-
tica quotidie revertens, accessionibus meridianis
et vespertinis, remissione, rarius apyrexia, matu-
tina : plerumque sudoribus nocturnis et urinâ se-
dimentum furfuraceo lateritium deponente.” *
Pulsus semper frequentissimus est, plerumque
supra centum in horae sexagesimâ—calor perpe-
tuo auctus—sensus frigoris interdiu—sudor ma-
tutinus—macies, saepe tussis, et muci, vel puris,
excretio aucta—lingua interdum alba, sed fere
nitida et rubra—fauces aphthis infestae—oedema
pedum—diarrhoea, &c. hecticam monstrant ; quâ
formata, omnia in pejus ruunt.

In febre hectica usque ad finem cibi appetitus
parum minuitur, nec sitis, sicut in febribus aliis,
febricitantem vexat : Oculi, vasa rubra immuta-
ti, subalbidi et margaritarum instar fiunt.

Morborum

* CULLEN.

Morborum omnium, praeter anasarcam, tristissima corpus maciê Phthisis devastat :—haud raro quidem ossa renudat. In hoc morbo animus fere horas ad ultimas muneribus suis perfungi solet : interdum, autem, sensus turbati fiunt ; et cum sese ita habeant, nil dubium, quin cita mors venerit. Ex opiatīs tamen ad tussim sedandum adhibitis, turbatio haec nonnunquam oriatur : Sed ea ex modo quo aeger se inde habebit, facile intelligitur.

Aegro jam capilli diffluant, digitorum summities crassescunt, obuncatis unguibus, quod Graeci *γρυπώσις* vocant—inflatio pedum frequentior—anima foetida—aegre ductus anhelitus—pulsus articularum, vix, aut ne vix, sentiri possint—vox faucibus haeret : “Nasus acutus, oculi concavi, tempora collapsa, aures frigidae et contractae, lobi aurium inversi, et cutis circa frontem dura, intenta, arida, calorque totius faciei pallidus, aut et niger et plumbeus”* moribundum aegrotantem denunciant :

* Facies Hippocratica, Charter, Tom. viii, 590-91.

denunciant : et brevi spiritus abit in auras. Signa jam tradita, etiam si non omnibus omnia, in pluribus tamen, sese ostendunt, incipientia quorum, diversis temporibus, apparent disparentque. Bruma plerumque incipiunt et ad ver vel aestatem vexant, quum aut *desinant*, aut minus sentiantur : sed bruma redeunte, iterum redeunt ; et ita per aliquos etiam annos, donec phthisin confirmatam efficiant ; quum, ut ait PORTAL, “ L’Automne et le printemps que apportent de grands changemens dans l’atmosphère, enlèvent des phthisiques, qui avoient affronté l’été et l’hiver.”...Paucis autem, phthiseos incipientis omni fere signo implicitis, vires reffectae sunt—hoc tamen minime saepe in phthisi confirmata.

DE CAUSIS.

PROCLIVITAS hereditaria—(cui poenas luunt immeritas tam saepe nepotes)—debilitas pulmonum—“ scapulae acuminatae, praecordia contiguta,

cuta,—pectus angustum et depressum,—cervix gracilior et oblonga—omnium pectoralium tenor flaccidissimus, caroque totius corporis musculosa tenerrima.”*—Habitus scrofula imbutus : nimium studii,† anxietas animi ;‡ aestas sicca et aquilonia,—autumnus pluvius et austrinus, ||—aër contaminatus,—diaeta insalubris parumque nutriens —vita

* BENNET, Tab. Theat. 19.

† Cet excès, (ait ZIMMERMAN) d’amour pour les connoissances et pour les sciences ; cette anxieté continuelle, et non interrompue, pour les idées nouvelles, devient aussi une source de beaucoup de maux.

‡ Le corps tombe en langueur par les fatigues excessives de l’esprit....Les hommes occupés continuellement à lire et à penser, usent leur esprit, lequel à la fin devient obtus. D’autres, à cause d’une excessive application à l’étude, perdent entièrement le sommeil, et, faute d’exercice, ils tombent dans les horreurs de l’hypochondrie, deviennent foux, &c. &c.

Hic mihi est magna copia dicendi quam multos in phthisin incidisse, nimis studio in literis adhibito ; inter quos nec minus luctabiles, fuère KIRKE WHITE, BRUCE, HAY BEATTIE, &c. quîs, si fata pepercerint, summas attigisse honores necesse erat—sed his contigit mors prorsus immaturis.

|| Ην δὲ το ἄνθρωπος ἀνυχμῆρὸν καὶ βορέιον γενῆται, το δὲ φθιναπῶρον επομῆρον δὲ καὶ νόσιον, κεφαλαλγίαι ἐς τὴν χειμῶνα γίνονται, καὶ βῆχες βραγχοί, καὶ κορυφαί, ἐνίοισι δὲ καὶ φθισίς.

HIPP. Aph. xiii, Sect. 3.

—vita sedentaria—haud raro egregium formae decus, ingeniique* temperamentum—cutis candida—dentes albi—capilli flavi aut albidii—oculi caerulei—magnae venae—rubor vultûs—sensibilitas† extrema φθινώδεις designant. His insuper adjiciamus incolas regionum callidiorum in frigidas demigrantes huic morbo obnoxios fieri.

Causae

* “ Pour le génie, un extrême mobilité du cerveau, et des nerfs est nécessaire, et elle ne peut subsister sans être suivie de foiblesse, tandis qu’au contraire, cette dureté qui constitue la force, exige des nerfs qui sont trop fermes pour les opérations intellectuelles: or, à cause de cette mobilité du cerveau, l’application d’esprit, portée trop au-delà, devient une *cause éloignée* de maladies, &c.—ZIMMERMAN.

† La phthisie nerveuse attaque plus facilement les personnes qui sont douées d’une imagination vive, et qui sont très sensibles aux fortes commotions de l’ame: ceux qui ont plus d’entendement que d’imagination, sont beaucoup sensibles aux affections morales lentes.

Ceux, enfin, qui ont une sensibilité exquise, une imagination forte, un esprit éclairé, et une réflexion profonde, en souffrent par-dessus tous.

La peur, la tristesse produite par des causes morales occasionnant la foiblesse du système nerveux, peuvent *disposer* à la Phthisie nerveuse, notamment, chez les sujets grêles et délicats. FEDERIGO.—PORTAL.

Causae Excitantes.—Quidam praecurrentes morbi, viz. haemoptysis—pneumonia—catarrhus *—asthma—scrofula—syphilis—rubeola—variola—spes irritae—† amor infelix, aut occultus—‡ multum loquendi—§ vociferatio—|| concussio varia—costae

* Frequens autem distillatio in corpore tenui longoque tabem timendam esse testatur. CELS. II, viii.

† Deux dames Suisses, ait ZIMMERMAN, à cause d'un amour méprisé, tomberent dans cette espèce de consommation qu' Hippocrate a déjà observée après la suppression des règles, laquelle, dans le cas dont il s'agit, est toujours accompagnée d'une tristesse profonde, d'une défiance de tout, et d'une vraie misanthropie, qui, à l'extérieure, semble n'être qu'ennui et accablement. Cet état physique et moral n'est autre chose que cette consommation lente et incurable, connue des Anglais sous le nom de crève-cœur,—“ *broken heart.*”

‡ MOLIERE acting for the fourth time the part of the “Malade Imaginaire” persisted in it: though he felt himself disordered more than usual with an old complaint in his breast, continued playing his part, which brought on a violent vomiting of blood, of which he instantly died. SWIETEN, v. xii, p. 95.

§ Antigonus fertur pulmonem rupisse dum, victor hostium, prae gaudio, vociferabatur: “O, faustum diem!” Unde magna vi sanguinis emissa, febre periisse. PLUT.

|| PHARNACHUS, HERODOTUM secundum, ex equo collapsus sanguinem vomuit, et morbus transiit in tabem. L. vii, 408.

* costae nimis artè compressae,—aliena sicuti, pulvis, fumi, in pulmones inducta—venena quaedam†—motus animi deprimentes vel aliter excitantes‡—frigus corpori admotum—nixus cantandi, vel, fistulas musicas inflandi §—intemperantia omnigena, et denique—*quodcunque pulmonem vel irritat vel onerat, vel corpus debilitat.*

Causa

* Ineptum est, (ait SPIGELIUS,) et ultra fidem perniciosum, illud studium, quod fere virgines (immo juvenes sicuti nunc mos est) adhibentur, ut junceae videantur, *loris* et mortifero artificio pectus in angustias cogentes, ignarae se, angustando thoracem, januam tibi marcorique aperire. De Hum. Corp. LLC. IX.

† It is mentioned by PLUTARCH that PHILIP contrived that a poison should be given to ARATUS, the effects of which were not instantaneous, nor its acrimony very violent, but of such a quality as to excite first a slow fever and faint cough, and to bring on a gradual *decay*. One day in his chamber, in presence of one of his acquaintance, he *spit blood*, and said, “These. O CEPHALON, are rewards bestowed by royal friendship!”—Vide ARAT. tom. i. p. 1051.

‡ De Scylla fertur. Quod animi concitatione nimia, atque immoderato vocis impetu, convulso pectore, spiritum cruore ac minis mistum, evomit. VALER. MAX. Lib. ix, cap. iii.

§ I have often lamented, (ait SWIETEN,) that many died whom I had hopes of recovering, because they were obliged to gain their livelihood by singing, and by playing on wind instruments. Vide SWIETEN De Phthisi, &c.

Causa Proxima.—Tubercula in pulmonibus: quae tumores exigui sunt, et glandulae tumidae et induratae esse videntur,—inflammatione lenta tumescunt—suppurant, et abscessus parvi, sive vomicae fiunt, quae rumpunt, atque pus, in ramulos bronchiorum emittunt, ut excreatur, &c.

An Contagiosa sit.—An Phthisis contagiosa necne, medici certant et adhuc sub iudice lis est. GREGORY primus, ex contagione se exempla Phthiseos vidisse opinionem habuit; aliter autem CULLEN et GREGORY secundus, “Fateor autem, (ait HEBERDEN,) me vidisse nonnullas pereuntes, quorum morbus non aliud probabilius habuit initium quam quod assidue una fuissent, aut etiam dormissent cum tabidis.”*

DE

* Metus est ne contagio in sanos propagetur morbus.

SWIET.

Il est très connue que la plupart des praticiens soutiennent la réalité de cette contagion, et parmi eux se trouve l'autorité de GALEN, &c.

MUHRY.—Vid. PORTAL. Not.

DE PHTHISEOS CURATIONE.

..... Docta plus valet arte malum;
 Cernis ut e molli sanguis pulmone remissus
 Ad Stygias certo limite ducat aquas.

OVID Epist. lib. i, 3.

“ O QUANTUM difficile est, inquit BAGLIVIVS,
 curare morbos pulmonum! O quanto difficilius
 eosdem cognoscere et de iis certum dare prae-
 sagium! Fallunt vel peritissimos ac ipsos me-
 dicinae principes.”

Quam verissime dictum, nemo est qui eat infi-
 cias;

Periculosum praeterea est consuescere his qui tabe tenen-
 tur.....qui putridum adeo expirant, ut domicilia in quibus
 decumbunt graviter oleant. GALEN. De Feb. lib. I, iii.

Illa fugi (cadavera) de industria adolescens, et fugio vel
 senex cautius fortasse quam opus sit, at tutius.

MORGAGNI Ep. Annal. Med. xxii.

Cum quibus sentit etiam TULPIUS quem “ Detinuit a sec-
 tione foetor tabidus, noxius, forte non minus medicis quam
 ipsis consanguineis.” Lib. ii, c. ii.

cias : nam dira morborum cohors vix alterum ostendit de quo verius dici potest, quam de phthisi,

“ Virus edax superare opem.”

Quatenus autem perraro sit medici vires aegro restituere, ex eo tamen multum semper pendebit, quoniam ei malum, etiamsi sisti prorsus nequeat, haud raro mitigare contingat.

Cum adolescens, aut genere Phthisico, aut habitu scrofulâ imbuto, vere novo, vel serius, eis supra traditis, signa edat consimilia, plerumque fit inesse pulmoni tubercula, quibus obviam ire ope summa nitendum est.

In hunc finem Regim. *Antiphlogisticum*, et missio sanguinis pro aegri viribus, et praecipue si adsint dyspnoea, dolor lateris, tussis, &c. quae multae plerumque erunt rei.

Ad cibum quod attinet, in hoc omnes consentiunt medici, dietam lacteam longe aliis praestare ;

stare; quatenus ad concoctionem, et nutritum, optime conducat.* Sed in stadio altero,† presertim sub ejus finem, quodlibet alimenti genus, ut multi putent, aegroto gratum, et modice sumptum, si non ventriculum turbet ‡ tutò potest concedi.

Sed quoniam nostra Phthisicis minus faveat ora, solitum est alias petere ubi “ JUPITER purus et serenus, zephyri molliter spirantes, et mores et
scenae

* Tabidis, ait HIPPOCRATES, lac dare convenit, non admodum valde febricitantibus, &c. Vid. Sec. v, Aph. 64.— Ubi calor febrilis moderatior evaserit, lac ipsis exhiberi debet (TRALLIAN), ejus vero serum, praescriptorum selectissimis, alteratum, nullam incommoditatis suspicionem prae se fert.

† Sed lactis usum verè Phthisicis interdicere necesse duxi. (BENNET, Theat. Tabid. p. 27–151.) Lac humanum vel asinarium optimum longè ducitur, quia minus casei, &c. ac plus sacchari continent.

‡ Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo quod capias concoctum didere possis,
Artubus, et stomacho humectum servare tenorem.

LUCRET.

scenae jucundiores affectus mulceant, hilaritatem inducant, et vires naturae renouent,”* qua

“ Nescit calores lenis aestas torridos

Frangit rigores bruma flaminis asperos,

Non pestilentia pallet Austri spiritû,

Autumnus aequis temperatus flatibus,

Non ver solutis amnium repagulis

Inundat agros, et labores eluit.” †

Tali gaudent temperie, Hispania—pars Galliae meridionalis—Italia—Brasilia—Insula Madeira, &c. eo se igitur, signis minitantibus, recipere multum aegro expediet—Sin autem res angustae, aut alia, migrare vetent: remedia sunt altera proponenda: Velut indusia lanea ‘ ne aurae frigidioris appulsu sanguis intro coerceatur,’ &c. Conclave callidum et inclusum—circiter gradum 60° FAHR. apprimè utile sit, et caeli vice mitioris bene fungitur.—

Sed porro multis quanquam annue migratur, nec non plerumque sanatis patriam revisuris—intra fines Britanniae quoque loca sunt,—Clifton nempè et agri Devonensis pluria—quò, lares ne-
queuntibus

* GREGORY.

† BUCHANAN, ‘ Deliciae Poetarum Caledoniae.’

queuntibus mutare, itur saepissime, nec raro, quidem, multo cum foenere.

Sunt quibus unum opus est varia exercitationis genera celebrare. sed inter medicos minime constat, alius honore aliud afficiens, cui laus maxima tribuatur oportet. Equitatio, ab SYDENHAMO* et ceteris, multum laudatur: sed plus merito ut alii putent. “L’equitation, ait PORTAL, est non seulement utile par le mouvement qu’elle procure aux parties intérieures, en facilitant leur dégorgement, mais encore elle produit une dissipation agréable de l’esprit, par *une diversion heureuse de tristes pensées* de malades, qu’une affreuse mélancolie poursuit ordinairement.”

Sedes pensilis etiam multam tulit sibi famam

sed

* Hâc aliqui suorum tam feliciter usi sunt, ut in salutem redirent et eò usque temporis. “Cum (inquit) certo scirem me nec medicamentis quantivis pretii, nec alia methodo quaecunque demum ea fuerit, nihil magis iisdem proficere potuisse quam si verbis multis hortatus fuisset, ut rectè valerent.”—Dissert. Epist. p. 523. “Vitae ἀνὰ πρᾶτεργρησιν multo diutius in hoc exercitio persistendum quam infra hanc aetatem positis.” Id.

sed ultra modum ut experientia DUNCANI max. nostri bene probet; cui detrimenti non nihil induxisse visum est.*

Ex CELSI, CICER. PLINIIque temporibus, usque ad nostra, creditur navigatio † ad Phthiseos curam plurimum conferre: Ea variè profecto aegro prosit—sudorem nauseamque ciendo—nihil fatigationis inducendo—actionem cordis et vasorum minuendo—

* “We are sorry to say that, from our own experience, we cannot say much in favour of swinging. Indeed, we have not met with any one case, in which any material benefit arose from its employment,” &c. Med. Comment.

† In Phthisi opus est, si vires patiuntur, longa navigatione: si id imbecillitas non sinit, nave tamen, sed non longè gestari, commodissimum. CELS.

CICERO quoque de se ipso refert, se, instanti Phthisi, in Asiam navigasse, et inde Romam biennio, valetudine summa, rediisse.

Neque enim Aegyptus, propter se, sed propter longam navigationem, petitur. PLIN.

Exemplum cui, hâc in flumine usitata, mors evenit longinquo, inter praelegendum memorat, GREGORIUS.

minuendo—et praeterea numen spirabile, quod mari incumbit, Phthisico est amicissimum: Ex hac insuper vitae ratione novâ—sive stet mare placidum ventis—seu tumidis agitatum fluctibus—auxilii multum, verisimile est, aegro accedat: —Nam talia faciunt ut animus—“ qui vim naturalem habet quam, intendit ad ea quibus movetur,”* de se ipso quodammodo rapiatur, et naturae, et vitae istas ad vices, facile et ultro, sese intendit.

Ambulatio saepe prodesse fertur, et si modicè habita, et aegri vires sinant, nihil est quo minus magno foret commodo: Quod autem longe ducitur aliis praestare, et prae ceteris adhibendum—*currugestatio* est: Cui, cùm, facili rotarum motu, nec minus vehiculi resiliendi vi, minimam vix moveat irrationem—aegro multum auxiliari necesse est.

De animi affectibus—Latet neminem quin plurimum ex his motis semper pendeat: quippe quis nescit,—

* CICERO.

nescit,—iis gravioribus, vel aliter supra justum excitatis—subito mortem evenisse—morbos induci—tarde curari—vel etiam immedicabiles evasuros. His igitur moderari—aegro tenorem mentis quam maxime aequum servare—temperiem ejusdem quam maxime benignam quamque hilarem reddere—nunquam non summo studio nitendum est. Nec non mihi persuasum quin ea—qualia sunt itinera, navigatio, equitatio, &c.—quae sibi tantas laudes conciliârunt—tanto aegro prodesse soleant, quanto, solum, ejus mentem recreent, vicibus terrarum gratis et variis, caeli et maris : nam unicâ—

‘ Temperie caeli corpusque animusque juvatur.’

Si aegro *vivida vis animi* sit—si magna *sensibilitas*—male utitur solitudine : quod ibi tristes plerumque imagines mentem obsident, sollicitantque, et “ Fancy...

Wraps the hour of woe in tenfold night.”

Itaque hanc evitare Erynnin—quasi Lachesin ipsam—et laeta et grata fovere, aegri plurimum intererit : Haud raro igitur hilaribus adsit aeger amicis—

amicis—seriis ludo posthabitis—et ‘ remississimo ad comitatem animo’—videat audiatque, quodcunque affectus animi tristes depellere, et gratos elicere, potest : Tali comes dignus sit carmine :—

“ Multa jocans comique tenens sermone sedentes.”

Sed quanquam aegri valetudini medendae nullam non adhibuimus opem—satis superque constat, quam minime plerumque in rem, quamque inaniter, manus applicuimus. Non saepius in die refluit Euripus, quam medicis lugetur, suos in Phthisin labores pro nihilo esse, et ‘ artem sine laude jacere.’—‘ Eh ! quelle est la maladie qu’on guêrit, quand l’organe dans lequel elle réside a souffert une desorganisation complete !’

Saepissime, quidem, nihil melius fieri licet quam modis jam recensitis, et aliis, aliis rebus, suggerendis, mulcere, quatenus id possit, quod curari ne queat—fovere quod vitae restet—et diem, quâ fata clauduntur, quam maxime semotam efficere.

FINIS.